



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Civibus Soranis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

non tam propter culpæ tuæ vitium quam ut deinceps ab aliis evitetur. perniciosum exemplum, quod circa electionem hujusmodi de te factum fuisse dinoscitur de fratrum nostrorum consilio duximus irritandum. Verùm quoniam hujusmodi duellorum judicia juxta pravam quarundam consuetudinem regionum non solum à laicis seu Clericis in minoribus ordinibus constitutis, sed etiam à majoribus Ecclesiarum Prælati consueverunt, prout multorum assertione didicimus, exerceri, attendentes quòd prædictum duelli iudicium non in accusationis forma sed in modum tantum tibi fuit exceptionis objectum, tuis supplicationibus inclinati auctoritate præsentium tibi duximus indulgendum ut hoc penitus non obtante ad quamlibet eligi valeas dignitatem, dummodo aliud canonicum non obstat, maxime cum ex illo duello non sit mutilatio vel occisio subsecuta. Datum.

PHILIPPO ILLUSTRIS REGI Francorum.

EX litteris regie serenitatis accepimus quòd volens tuis servientibus, qui in regio servitio senuerunt, misericorditer providere, domum quandam Parisius de bonis tuis & servientum ipsorum ædificare disponis, in qua ipsis vitæ necessaria ministrantur, nobis humiliter supplicans & devotè ut ipsam in jus & proprietatem beati Petri recipere dignemur, eandem ab episcopali jure penitus eximendo. Cum igitur magis conveniat ut ipsa domus à sui fundatione sit libera quam post fundationem ab episcopali debito eximatur, venerabili fratri nostro episcopo & dilecto filio Archidiacono Noviomensi nostris damus litteris in mandatis ut fundum in quo domum ipsam intendis construere oblatum beato Petro recipiant vice nostra, ut sic in fundo Romanæ Ecclesiæ domus ipsa cum capella & cimiterio ad opus duntaxat hujusmodi servientum de licentia nostra libera construatur, ita tamen ut nec dioecesani Episcopi nec vicinarum Ecclesiarum per hoc justitia minuatur, quia sic intendimus tibi facere gratiam ut illis injuriam minimè inferamus. Datum ut in alia.

CIVIBVS SORANIS.

AD ubera sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ tamquam devoti filij recurrentes, ipsius vos decet dulcè lacte nutrirì, ut qui hæcenus, novercan-

te fortuna, onus portastis indebitæ servitutis, nunc opitulante gratia novamen inveniatis solitæ libertatis. Eapropter, dilecti in domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, rationabiles libertates, bonos usus, & consuetudines approbatas, quas à tempore illustri Regis Rogerij usque ad obitum Vuillemi Regum Siciliae habuistis, vobis paterna benignitate concedimus & auctoritate apostolica confirmamus, ut illis licenter utamini fidem nobis integram observando. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani.

IN eundem modum Clericis, Militibus, & universis hominibus Rocce Arcis. Datum Laterani.

IN eundem modum universis hominibus de Pefilo solido. Datum Laterani.

CONSULIBVS ET VNIVERSIS

Militibus & hominibus tam civitatis quam burgi Arelatensis, & nobilibus viris V. de Baucio & aliis Dominis burgi Arelatensis.

SI quam suave sit jugum & leve onus Ecclesiæ nosceretis, non quereretis utique vos ab ejus ingenua subjectione subtrahere ac jugo servitutis extraneæ libera colla dare. Accepimus siquidem, venerabili fratre nostro Arelatensi Archiepiscopo intimante, quòd cum Arelatensi Ecclesiæ singulariter fidelitate ac hominio essetis astricti, occasione juramenti quod nobili viro Comiti Provinciae præstitistis, graviter lassistis eandem, Salvariam, Vermellariam, & quædam alia in Arelatensi civitate concedentes eidem in non modicum ejus præjudicium & gravamen, & aliàs ad certa vos ei servitia obligantes quæ sine jactura juris ipsius Ecclesiæ, quæ vestra est domina principalis, illi exolvere non potestis. Cum igitur juramentum non sit ad vinculum iniquitatis inventum, universitatem vestram monemus attentius & hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus juramento hujusmodi non obstantè, quod in quantum per illud ecclesiastica libertas offenditur non est ut illicitum observandum, quicquid super iis in damnum Arelatensis Ecclesiæ fuerit attentatum inutile reputantes, præfato Archiepiscopo & Ecclesiæ suæ debita & consuetata servitia impendatis, jura quæ in vobis & civitate vestra obtinet ad alium injustè

Epist. 67. Ut consuetata servitia impendantur Ecclesiæ Arelatensi.